

I. Ab ordi-  
natione  
Divina,

um cœlorum, totque splendentium stellarum theatrum frustra, ac in nullos usus fabricasse, cum nemo hominum, vilissimum quidem opus, nisi in certos usus conficiat? Quod enim annorum, & mensium, dierumque discrimina per cœlum, tanquam perpetuum & indefessum horologium, metiamur, id non sufficienter machinæ cœlestis declarat utilitatem & fructum. Hæc enim, quæ ad temporis mensuram faciunt, ex solo luminiarum cursu, & primi mobilis revolutione dependent. Quorsum ergo quinque alij proprijs & diversis sphaeris multiformiter circumacti Planetæ? Quorsum tardigradum Saturni Sidus, quod triginta annis semel periodum suam absolvit? Quorsum fulgidum Jovis Jubar, duodecim annis circumactum? Quorsum Martius ille fulgor biennio sese revolvens? Quid Veneris amicabilis stella, Solem perpetuo comitata, eum nunc mane antecedens, nunc vesperi subsequens, operabitur? Quid varium, & unà circa Solem diversimodè revolutum Mercurij sidus efficiet? Num hæc omnes Stellæ cum suis amplissimis sphaeris, & intricatis ac stupendis motibus, frustra erunt conditæ? Quorsum tota Octava Sphæra tot innumeris lucidissimis, & variè dispositis, ac tardissimo motu præditis Stellis referta? An & hæc omnes, quas ob motus tarditatem fixas appellarunt, otiosæ & nullius utilitatis erunt? Id enim necessariò inde sequeretur, si cœlum & cuncta, quæ in eo continentur, lucidissima & perpetua corpora, temporis saltem distinctioni inservirent. Deus ergo incassum aliquid operatus est? Deus tanti artificij, tantæque Machinæ, nullum finem & usum prævidit? Id quàm absurdum sit cogitare, nedum credere, ex ipsius Dei perfectissima sapientia demonstratur; & ex minimis quibusque, in hac inferiori natura, creatis rebus, manifestè cernere liquet. Nulla enim herba tam exigua, nullum minerale & metallum tam abjectum, nullum animalculum tam vile, quin insigni aliqua ac propria, & specifica virtute sit præditum; idque in tantum, ut omnibus ejus operatio-  
nibus